ACTUM DRAMATICUM,
DE
IMPIA PIETATE
CAIPHÆ
EX CONSILIIS CONTRA IESUM CONSPICUA,
IPSO SOTERIORUM DIE
ANNO MDCCXIX,
A QUIBUSDAM ATHENÆI THORUNENSIS
CIVIBUS HABENDUM,

PUBLICO HOC PROGRAMMATE,
DE
PONTIFICATU IUDAEORUM, NON PRINCIPATU,
INDICUNT
RECTOR ET PROFESSORES.



THORUNII
Impressit Iohann Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus.

INter Veteres Ebræos, Principatum Synedrii, cum Sacerdotii Pontificatu ita fuiſſe conjunctum, ut magni illius Senatus Princeps, & Pontifex ſacerdotum Maximus, unus communiter & idem fuerit homo; tam magnus, quam communis, in Chriſtianis maxime ſcriptoribus, 1) olim jam error fuit. Et quamvis hunc, ille quondam honos Britanniæ 2) IO. SELDENUS extirpare penitus, tanta monumentorum fide, anniſus fuerit, & tam diligenter, ut pene videatur, vel ob hanc ſolam cauſam antiquis Synedriorum 3) conditionibus accuratius pleniusque deſcribendis diu multumque vacaſſe, ac ingenti ſolertia & judicio incubuiſſe; Nihilominus etiam inter doctiſſimos adhuc hodie frequens 4) permanſit error iſte, quem ii potiſſimum, qui ſummis ſacrorum muneribus, parem quoque ſtudent aſſerere poteſtatem, committunt. Nos in præſentia ad hunc denuo evincendum, Caiphas, Pontifex Max: cujus impietatem in publico actu noſtro exprobramus, opportune evocavit. Quum vero in his, de Principatu Synedrii Magni, & de Pontificatu, antiquitatis Jud. partibus, quas alii vel tantum generaliter, vel incidenter, vel obiter attigere, reliqvis omnibus major jure ſuo habeatur auctoritas Seldeni, utpote qui iſtas, & ſpecialius, & ex profeſſo, & penitus exhauſit; Omnino conſultum nobis videtur, hoc viro duce, tam rerum documentis, quam exemplis, veriſſimisque teſtimoniis: ſed brevitatis ſtudio, per quasdam tantum ſummulas, demonſtrare, *Principem Synedrii M. & Pontificem Max: non unam, ſed duas ſemper diſtinctasque fuiſſe perſonas*; Vel Pontificatum, qua talis eſt, Principatum in Synedrio iſto, nunquam ſimul involviſſe. Quod igitur ut tanto liquidius conſtet, originem Synedrii M. paucis repetiiſſe, plane opus eſt. Moſes itaque, majeſtate vere regia 5), populi Jud. Princeps, primo ante legem a DEO latam, ſolus 6] & ſacris et civilibus cauſis præfuit Judex 7). Deinde ex Jethronis 8) conſilio, præfecturas inſtituit juridicas, quarum itidem ipſe Princeps permanſit ſolus, quem in gravioribus cauſis populus appellaret 9). Poſt has Jethroneas demum præfecturas, DEO ſic ordinante, magnum illud conſtituit concilium 10) ſive illuſtriſſimum Judæorum Senatum, qui a conſidendi more Συνέδριον vel *Sanhedrin* 11) fuit appelatus. Quod etiam Synedrium poſtea, cum addito: *Magnum* dicebatur, quia minora 12) triumviralia & vigintitriumviralia, & numero & auctoritate ſuperabat. Numero nempe ſeptuaginta 13) aſſeſſorum & unius Principis Moſis; auctoritate vero tanta, quanta ipſius Synedr: M. poteſtas erat, ſumma videlicet & ordinaria 14), tam judiciaria 15) quam deliberativa 16), & in ſacris & in civilibus cauſis 17.) Aſſeſſores autem, quos Moſes in illum numerum cooptavit, non ii erant ſoli, quos hodie vulgus Presbyteros exiſtimare ſolet; ſed ſapientiæ Magiſtri, probi & judicandi periti, quos Presbyteros appellavit Moſes; neque magis tribus Levi aut Judæ, 18) quam reliquarum habita fuit ratio. Ex quibus omnibus primum evidentiſſime conſtat, Moſis tempore, Pontificem M. plane non fuiſſe Principem Synedr. ſed ſolum Moſen; neque divina hac & prima Synedrii M. inſtitutione præcipuum aliquem Pontifici Max. locum fuiſſe aſſignatum inter aſſeſſores Synedros, neque ullam peculiarem in Sacris cauſis poteſtatem, quam hodie Jurisdictionem nuncupant Eccleſiaſticam, præter Synedr. M. eidem competiiſſe. Poſt hæc Moſis tempora, libera adhuc florenteque Rep. Jud. reſpectu Principatus in Synedrio M. hujusque poteſtatis in ſacris etiam cauſis, eadem ſemper ratio, & ſub

Joſua

Josua, & sub Judicibus & sub Regibus, præsertim ex domo Davidica oriundis constanter permansit. Nam Princeps populi 19,) communiter Princeps præsesque Synedrii M. (quem Nasi vocitabant) & proxima ab hoc tanquam Principis secundi dignitas erat Patris 20) Synedr. M. Reliqui collegæ 21) Seniores, Senatores, Presbyteri promiscue dicti, ordine sedendi inter se distincti fuere, secundum gradus Sapientiæ 22), quibus alter præ altero eminuit. Sacerdotibus autem & Levitis, 23) si sapientia, non minus quam ceteri viri essent conspicui, hos inter Synedr. M. assessores locus, pro sæpientiæ gradu, concessus fuit, plane tamen sine ulla officii sacri prærogativa; Et simili modo, quod jam probe notandum, Pontifici Max. 24) si sapientia dignitati suæ par esset, locus dabatur, sed locus ille, qui sapientiæ, non dignitati debebatur. Ceterum nulla unquam vestigia comperta sunt apud Talmudicos, unde, Pontificem simpliciter, vel ex dignitatis suæ necessitate, in Synedrio M. sedisse, possit quis conjectare. Dum igitur non Pontificatus, sed sola sapientia, sicut ceteris, ita & Pontifici M. locum quendam in Synedrio tribuerit; nonne hallucinatio, qua nulla gravior, eorum est, qui temere asserunt: Pontificatui communiter Principatum conjunctum fuisse? Quid? quod hoc assertum evidentissime præterea refellitur serie successorum in principatu continua, quos præter Mosen, Josuam, Samuelem, Saulem & Davidem, usque ad excidium urbis Hierosol. catena 25) Principum exhibet, qui tamen Pontifices communiter non fuere. Accedit hisce nostris contra Pontificis Principatum rationibus, & ipsa Synedrii M. potestas plane summa, quam illud in Pontificem Max. si forte deliquisset, exercere potuit, & exercuit præsertim per pœnam 26) vel flagellationis vel relegationis vel supplicii ultimi. Vnde ortum traxit illud Talmudicum 27): *Pontifex judicat, & judicatur.* Quod ipsum quidem de Principibus Synedriorum minorum, sed neutiquam de Principe Synedrii M. 28) æque vere dici poterat, utpote qui, & judicabat legitime, nec judicabatur. Atque sic iterum omnino patet, etiam in ipsa Synedrii M. continuatione, Pontificatu non fuisse comprehensum Principatum. Interim sunt viri docti, qui in figmentis stropham quærunt asseruntque: fuisse olim, ad instar hodiernorum Tribunalium Ecclesiasticorum, singularia sacerdotum Synedria, quæ de rebus sacris cognoscerent; atque in his Pontificem Max. Principatum exercuisse, licet non in illo Magno Synedrio. Sed fictus hic, non verus Principatus, ut sunt ficta ipsa illa Sacerdotum peculiaria Synedria 29.] His proinde missis, secula Reip. Jud. novissima iam videamus, in quibus forte plurimum præsidii habebunt Pontificalis Principatus inventores. Quippe sub templo secundo, post illos, ex domo Davidica Reges, alii Hasmonaici, seu ex domo Levitica, circa annos 150. ante Christum natum, orti sunt. Quibus circa legitimum suum in Synedrio M. Principatum, insignis accidit mutatio potestatisque diminutio. Non enim ipsi, ut priores Reges, præsidebant in Synedrio M. sed per vicarium 30); forte etiam quandoque per Pontificem; Vnde tunc aliud effatum 31) de his Talmudicum ortum est: *Rex non Judicat, nec judicatur.* Fateor, ab hoc tempore usque ad excidium urbis Hierosol. prærogativam 32) quandam præ aliis Synedrii M. assessoribus Pontificatui accessisse. Quin etiam mox nimis desultoria esse cœpit Principatus & Pontificatus dignitas, maxime sub Romanis Imperatoribus. Nam dum hisce victoribus suis subjecti essent Judæi, ac loco Regis sui, Præsidi Rom. parere necesse haberent; inter reliqua, 33) hoc quoque: Principem Synedrii & Pontificem habendi jus retinuerunt quidem,

sed

ſed, plane ad libidinem Imperatorum ac Senatus Rom. Quorum decretis atque SCtis mox Princeps 34] novus, mox Pontifex 35) alius atque alius conſtitutus, dejectusue fuit. Vnde etiam quandoque contigit, ut uni eidemque homini 36], tam Principatus, quam Pontificatus dignitas fuerit pariter collata. Atque hinc, ut puto, iſte; de communi Principatus & Pontificatus ſocietate, error ſubnatus eſt iis ſcriptoribus, qui recentiſſima Novi Teſtamenti tempora vel ſolum, vel potiſſimum præ oculis habuere. Sed, quam hoc ſiniſtre factum? quam præter conſilium? ac ſine ſufficienti veritatis hujus ſtudio? Nam, quod in ſubacta Judæorum Rep: neciſſitas, & modo interdum, coegit; num regula inde communis & ordinaria formanda? Quid? licet Pontifex M. Haſmonaicorum Regum vicarium, in Synedrii Principatu, ſemel atque iterum egiſſet; anne propterea ipſe, tunc Princeps, quin potius Principis vicarius? Vel etiam; fuerit Hyrcanus, fuerit Annas, fuerint quidam alii, Principes a Romanis & Pontifices ſimul decreti, attamen hoc expreſſa, & Principatus & Pontificatus, adeoque diſtincta decretorum mentione factum; qua quid opus fuiſſet, ſi alterum altero jam contineretur ac intelligeretur? Verbo: ſub noviſſimis hiſce Reip. Jud. neceſſitatibus, conjuncta interdum fuere duo iſta ſumma munera & cumulata; ſed nunquam commutata penitus, & in unum coacta; non in & ſub; ſed cum Pontificatu tunc fuit Principatus. Prout enim ſæpe unus & idem homo, citra monſtrum, duas ſimul ſuſtinere poteſt perſonas 37); ita unus idemque Hyrcanus, alteram Principis, alteram Pontificis perſonam una pertulit, quæ tamen utraque nequaquam in unam coaluit. Sed hi caſus fuere rariſſimi; ceterum communiter & plerumque Princeps Synedrii M. & Pontifex Max. non modo duæ ſemper fuere perſonæ morales; ſed & naturales, duo nempe & diſtincti homines. Vel, licet quandoque Princeps egerit ſimul Pontificem, aut Principem Pontifex, attamen nunquam Principatus Pontificatum, nec Principatum Pontificatus in ſe involvit. Et hoc eſt, quod pro inſtituto præſenti, quantum in compendio fieri potuit, demonſtratum jam eſſe opinamur; & quidem potiſſimum iis antiquæ Hiſtoriæ Judaicæ monumentis, quæ Seldenus, auctor hoc in argumento præſtantiſſimus, uberrime ſuppeditavit. Si autem hucusque dicta ad Caipham noſtrum tribus tantum verbis applicarem; dicerem, hujus impietatem in cauſa Chriſti tanto majorem fuiſſe, quo minus hujus cognitio eidem publice competierit. Nam hæc cauſa Chriſti, ſub criminatione Pſeudoprophetiæ 38] ad totum Synedrium M. 39) deferri oportebat; Caiphas autem tantum eo tempore Pontifex Max. non Princeps Synedrii M. 40); ſed hanc perſonam tunc vel Gamaliel, vel Annas, vel alius ſuſtinuit. Et forte hæc fuit ratio, propter quam, hi Caiphæ contra Chriſtum impetus, etiam a ſcriptore Judæo 41) inter ſeditiones Judæorum, contra Pontium Pilatum, referantur. Quæ Caiphæ impietas, multo erit conſpectior, in ipſo actu, quo, tanquam ſuſcepta pro DEO, revera tamen in DEUM directa; hoc eſt: *Impia Caiphæ Pietas* exprimetur. Quem actum diriget JOANNES ARND, Philoſ: & Juris Naturalis ac Civil: Prof. Publ. Ord. Vt vero Magnif: & Ampliſſ. Reip. Proceres, *Burggrabius Regius, Præſes, Pro-COSS. COSS. & SCHOLARCHÆ*; Experientiſſimi *Phyſic. & Medic.* Plurimum Reverendi *V. D. Min. Spectabiles Judiciorum Aſſeſſores*, ac denique omnes & ſinguli bonarum literarum Patroni, Fautores & amatores, huic actui, honorifica ſua præſentia intereſſe, noſtrisque actoribus benignos ſe auditores præſtare non dedignentur, obſervanter amanterque rogamus, obſecramus. P. P. Dom. Palmarum.

I, In

c. d. [illegible] pag. 65 [illegible] pl. 64.